
DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-septimâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXIV.

PRÆSIDE,

M. Joanne-Jacobo BELLETESTE, antiquo Facultatis Decano, Doctore Medico.

An ligaturæ poliporum uteri instituendæ nova methodus anteponenda?

I.



ULIER divinitatis opus, humanitatis honos, à viro discrepat etsi iisdem conflata sit principiis & ab eâdem petat origine vitam. Inæqualis utriusque nutritio, inæquale incrementum. Mas citiùs in utero crescit *. Femina vero luce semel potita incrementi sui apicem citiori pede attingit. Aurea promptioribus alis advolat ætas. Quantum tunc discriminis! elegantior femineorum artuum tractus, sororiantur mammæ, vultui insident blandities & dignitas, fideli comitatur satellitio jocorum, risuumque chorus, subtilis ingenii acies, benigna morum indoles, dulce colloquium, quorum vinculis implicari gestit quicumque vir etiam ferocissimus. Sic Hercules Omphalæ blandis lateribus assidere gloriabatur. Sic Samnitanæ juventutis præmium feminea manus, gratiosius illustriusque reddebat.

* Hipp. de natura pueri sect. X. & seq. de genitura sect. VI.

Amabilis illiùs generis humani partis, dulci jugo alteram prementis organa, per longiùs temporis intervallum suam servant flexibilitatem. Elapsum fluxûs menstrui tempus, senilem ariditatem moratur; caput non tam tristi deturpatur calvitie, ictusque suos quasi suspendit mors ineluctabilis. Mulier tamen pluribus subjacet morbis quorum nescius est virilis sexus. Tristes hosce hospites arcessunt periodica purpurei laticis excretio impedita, sat certum fœcundationis possibilis indicium, matris conditio, nutricis status, peculiarisque partium genitalium structura, à quâ sæpissimè pendent partis illiùs polipi.

II.

POLIPUS, tumor sæpè indolens, circumscriptus, excrescentiæ verè carnosæ, membranâ eâdem quæ dedit illi originem cooperta, in formam pyri vulgo desinit. Conspicitur in naribus, gutture, utero & vaginâ. Si unicus tumor, unicus pediculus. Plurimæ radices plurimos indicant polipos. Uniûs tamen pediculi, plures possunt esse appendices. Duplex distinguitur in genere poliposa excrescentia, mulieribus duntaxat peculiaris. Quandoque sedem figit in utero, quandoque in vaginâ.

Triplex admittenda poliporum uterinorum species. Alii in fundo illiùs visceris

nascuntur. Alii pediculum habent in orificio hærentem. Cum semel orti fuerint primæ speciei polipi, tacitè crescunt, & ad id incrementi adveniunt ut dilatando utero impares, & ab hujus visceris parietibus pressi, ubi minor resistentia, eo vergere gestiant. Hinc fit ut per collum uteri erumpant, quo constricti, hæmorrhagiis, fluorique albo præbent ansam sæpèque mortificati excidunt.

Secundæ speciei polipofæ excrescentiæ, ideo cognoscuntur quia digitus, tumorem inter & uteri cavitatem resistentiam reperit. Illæ raro hæmorrhagias comites habent propter pediculi libertatem.

Tertiæ speciei polipofæ, signum diagnosticum est orificii uterini obliquitas.

Vaginæ polipi, basi latâ non raro donantur, liberum linquunt uterum, minimè constringuntur, lui venereæ præcipuam debent sui originem, sæpèque à nimio veneris oestro procreantur. Cum herniis sive vesicæ, sive epiploi vel intestinorum aliquando confunduntur; sedulò tamen distinguendi signis peculiaribus à M. *Levret* delineatis *.

* Traité des Polipes.

III.

POLIPOS uterinos referunt mole, skirri, cancri occulti hujusce partis, nec non herniæ cum uteri inversione. Undè quidam authores etiam magni nominis, in gravem lapsi sunt errorem, jactantes uterum à se amputatum, quo evulso, conceptiones, & graviditates fuisse peractas, audacter mentiebantur. Quidquid sit tumores cujuscumque generis pediculo gaudentes nostrâ possunt auferri methodo.

Latet adhuc primaria poliporum causa, quæ tamen non alia esse videtur nisi omne quod membranarum læsionem producere valet. Unde circulatione, vitâque suffocatis, stagnant humores, membranososque folliculos, minimè resistentes dilatant. Sic ictus, inflammationes, virus quodcumque polipis præbent ansam. Sic mulieres in partu vulneratæ plurimorum filiorum matres, desinente fluxu menstruo polipis videntur obnoxiores.

IV.

PLURIMA huncce morbum debellatura suppeditavit ars auxilia. Alii cauterium prædicant, minimè adhibendum, quia sensibiliùs organum. Partes haud affectas oppugnat, cancri indolem polipofæ excrescentiæ affert. Aliundè longissima curatio, nullum habitura successum præsertim si latus occurret polipus. Alii incisionem jactitant, at valdè timenda tum propter hæmorrhagias difficillimè sistendas, tum ob dolores acerrimos. Adde quod talis operatio, in solâ vaginâ tantum posset exerceri.

Quidam ad extirpationem tanquam ad unam salutis anchoram confugere. Sed rejicienda videtur methodus, propter necessariam membranarum dilacerationem, atrocissima tormina, cancrosque, necessarias inflammationis sequelas.


Recentiores vero ligaturam celebrant. Multiplici autem de ratione assensum libenter præbemus. 1°. Quia sic naturam imitamur quæ polipos primæ speciei uterinos, collo constringit, sicque eos ullo absque periculo expellit. 2°. Quia nulla, seu saltem minima sanguinis evacuatio pertimescenda. 3°. Quia maximè tolerabiles excitat dolores. 4°. Tandem quia levissima inflammatio nascitur, sed sufficiens & idonea promovendæ suppurationi, cujus ope, ultimæ polipi radices corroduntur.

Plurima autem inter media, ligaturæ instituendæ apta, quædam electio datur. Primi hujusce methodi inventores, polipum cum filo lini, equinove crino, mediantibus digitis immisso, ligabant. Sed clariùs luce patet, quod tunc apparentes duntaxat pediculi, operationem subire valerent.

Recentiores inter M. *Levret* excogitavit instrumentum quod ipsammet ansam efformatam versus polipi radicem affert. Huic autem optimè quidem excogitato anteponimus novum, ob rationes brevi afferendas, â M. *David* inventum.

V.

ILLUD inſtrumentum infrà expreſſum, & in ſtatu naturali, duplicatâ gaudens menſurâ gemino conſtat brachio A A *Fig.* 1. vices gerente digitorum tenuiſſimorum, longiſſimorumque. Verſus ſuperiorem extremitatem acuminis, inſtar foramine donatur, per quod tranſit funiculus ſericeus B B ſuâ extremitate ad partem inſtrumenti inferiorem alligatus C C; undè facilior motus, minimèque timenda illius fuga. Tunc in utero introducitur unicum duntaxat brachium A, in eodem inſtanti partem tumoris obſidens, deinde alterum A correſpondentem partem occupaturum, ſicque unà cum collegâ anſam efformaturum, in quâ involvitur polipus. Admota inſtrumenti brachia, uniuntur inter ſe mediantibus vaginis diſtinctis quarum altera *Fig.* 2. ad D figuræ quartæ deducitur; deinde altera *Fig.* 3, cui ultimæ adeſt trochleæ ſpecies E circa quam volvuntur funiculi ſericei extremitates antè brachiorum inſtrumenti invaginationem deligati & diſpoſiti ut *Fig.* 4. tunc ope clavis *Fig.* 5. augetur volutationum numerus, prout excidentiam pollicetur tumor qui eo in tempore involvitur in annulo F à funiculo efformato, ſicque conſtrictus, brevi decidit.



Hæc autem methodus ab omnibus usurpanda venit, propter instrumenti simplicitatem, facillimamque ansæ efformationem. Dum econtrà polipi ligatura ope instrumenti D. *Levret* peracta valdè intricata, ac difficillima evadit, quando saltem basis magna & uterum quasi adimplet poliposa excrescentia, hinc non raró accidit quod tentamina sæpiùs repetita, irritationem, inflammationem nimiam, cancrosque procreare valeant; quæ quidem incommoda nostro arceantur, vitanturque instrumento.

Quod probat ratiocinium, illud confirmat nostra experientia. Mulier annum trigesimùm quartum agens, vaga & incerta habebat menstrua à duobus circiter annis. Mense Octobri præterito, immodico ita mensium fluxu laboravit ut nisi post diuturnum tempus, vires amissas refocillare potuerit. Intereà in vaginæ cavitate quamdam molestiam quamdamve tumoris speciem reperiundam autumavit. Tragœdiam ipsa metuens, meum imploravit consilium. Omnibus examinatis & attentè ponderatis poliposam excrescentiam basi sat amplâ donatam & magnitudinem ovi columbini referentem existere ad uteri orificium ipse ego indicavi. Sed morbi magnitudine durationeque perpensis, hosti tali debellando, meipsum imparem prorsus deprehendens virum doctissimum, dilectissimumque amicum M. *Caille*, hujusce celeberrimæ Facultatis Doctorem, ut methodum quæ sibi maximè arridet, humaniter impertiret, rogavi. Eo acriùs animum intendimus ut circumspiciendo salutare quid excogitaremus, meditati, operationem tandem suasimus. Omnibus ritè paratis eam instituì methodo à me propositâ, quæ quidem operatio ullo absque acri dolore & felicissimo cum successu peracta fuit & intra quatuor dies, mulier fuit sanata.

Ergò ligaturæ poliporum uteri instituendæ nova methodus anteponenda.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. *Claudius* LAFISSE, *Chirurgiæ Gallico idiomate Professor designatus.*

M. *Josephus Ignatius* GUILLOTIN.

M. *Carolus Jacobus Ludovicus* COQUEREAU.

M. *Joannes Baptista Michael*, BUCQUET.

M. *Ambrosius Augustus* BELANGER, *Serenissimæ Comitissæ Atrebatum Medicus ordinarius.*

M. *Franciscus Maria* LE MOINE.

M. *Claudius Carolus* DEJEAN.

M. *Franciscus Felicitas* COCHU.

M. *Josephus* DE JUSSIEU, *Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.*

Proponebat Parisiis JOANNES-MATHÆUS DE FRASNE, Sequanus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Autor, A. R. S. H. 1774. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi.